

quod tamen falso, ex mero odio & inuidia, ab ipsis excogitatum est, vt hac ratione imitatores à vera arte deducerent, & extremæ inopiæ involuerent. Id quod coram Deo difficilime excusabunt, dum parum considerarunt, quid Christus dicat: **DILIGAS PROXIMVM TVVM, AC TE IPSVM.** Veritatem pedibus suis conculcarunt, eidemque mendacia supposuerunt, quæ mirum in modum exornarunt, ingentesque de illa libros conscripserunt, quasi res esset seria, vt metalla corrigantur, cum tamen dumtaxat simplex aliqua fiet coctio.

Quam diu namque coquis, tam diu etiam putrificas, & substantia putrefactioni fit obnoxia, instar frumenti, quod terræ iniectum, per calorem Solis in ipsa terra conseruatur, perq; naturalē pluuiam primum putrescere necessum habet, antequam de eo noui aliquid crescat: Illud putrefactionem & solutionem appellarunt. Ita & tu quoque in coctione sublimas: Correctionem siquidem substantiæ sublimationem & multiplicationem, quo simpliciores melius fallerent, nominarunt. Pari quoque modo etiam coagulas: Nam dum humiditas in naturam ignis commutatur, adeo vt igni queat resistere, neque aut consumitur, vel per fumum euanescit, id tunc coagulationem nominant. In coctione circulantur Philosophi, in ea enim ignis cum aqua vnitur, ne ignis omnino comburatur, veluti cottidie videmus, quod videlicet aqua res omneis, quā diu aqua in promptu est, ab incendio tueatur. Similiter & aqua in coctione ignis curam habet seque cum igne vnit, vt omnino purus ignis fiat, & ita à veteribus circulatio vel conjunctio dicta fuit.

Et hac ratione vides, quomodo de simplici ista coctio-

li

ne tot

*Th. Schlegel Vol. 1.
p. 617*